

SEPTIMUM PROBLEMA.

5

Quære ascensionem eius obliquam in regione, cui polus eleuatur 47. gradibus & 45. minutis.

Intro cum 12. gradibus Virginis tabulam 47. graduum, & inuenio 155. gradus & 46 minuta, quos demo ex 157. gradibus & 7. minutis, quæ respondent 13. gradibus Virginis in eadem tabula 47. graduum: de differentia autem relicta, quæ est vnus gradus & 21. minuta, accipio partem proportionalem secundum proportionem 15. minutorum ad 60. hæc pars proportionalis est 20. minuta ferè addenda primæ ascensionis obliquæ.

Item eandem ascensionem primam confero ad 155. gradus & 29. minuta, quos reperio iuxta 12. gradus Virginis in tabula 48. graduum, & de differentia quæ est 17. accipio partem proportionalem secundum proportionem 45. minutorum eleuationis poli ad 60. minuta, pars illa proportionalis est 13. minuta ferè subtrahenda ab ascensione obliqua prima,

Habeo itaq; duas partes proportionales, quarum altera quidem est addenda primæ ascensionis obliquæ, altera autem minuenda ex ea: quamobrem demo minorem earum ex maiore, & relinquuntur 7. minuta, quæ adiecta sæpe memoratæ ascensionis primæ, conflant ascensionem obliquam quæsitam 155. graduum & 55. minutorum.

OCTAVVM PROBLEMA.

*Descensionem obliquam cuiuscunq; arcus eclipticæ dimetiri*

SI arcus eclipticæ propositus ab Ariete sumpserit initium, adde ei semicirculum, & aggregati arcus eclipticæ ascensionem obliquam ex præcedenti addiscas. dempto enim semicirculo ex iam memorata ascensione obliqua, relinquetur descensio obliqua arcus propositi à sectione vernali computanda.

Sed arcu eclipticæ proposito aliunde sumente initium, quære ex præcedenti ascensionem obliquam arcus ei diametraliter oppositi. Nam tanta quoq; erit descensio obliqua arcus propositi. Arcus autem diametraliter oppositos appello eos, quorum principia inuicem & fines diametraliter opponuntur.

Descensio vero recta arcus quancunq; in Horizonte videlicet recto, æqualis est, imò eadem ascensionis rectæ eiusdem arcus, quamobrem non erat opus seorsum tradere, quo pacto talis ascensio recta computaretur.

Exempli gratia volo numerare descensionem obliquam ad finem 12. gradus Virginis, in regione habente latitudinem 48. graduum: addo arcui eclipticæ proposito semicirculum, & perducor ad 12. gradus Piscium, quorum ascensio obliqua est 351. gradus & 21. minuta, ex qua ascensione demo semicirculum scilicet 180. gradus, & relictos 171. gradus cum 21. minutis pronuntiabo descensionem obliquam arcus propositi.

*Exemplum.*

Sed si libeat inuenire descensionem totius signi Virgialis, accipio arcum ei diametraliter

*July 40.*  

$$\begin{array}{r} 155 \ 27 \\ + 180 \\ \hline 335 \ 27 \\ - 164 \\ \hline 171 \ 27 \end{array}$$

*Sunt signa  
 12 graduum  
 in aquila signi  
 etc.*